

capiti tuo imponitur. Vnde sicut auro & gemmis redimita nites, ita & interius auro sapientia virtutumq; gemmis decorari concedat: quatenus post occasum huius seculi cum prudentibus Virginibus sponso perenni Domino Iesu Christo digne & laudabiliter occurrens regni cælestis aure ingredi merearis januam, eodem Domino nostro auxiliante, qui cum Patre &c. Coronata Imperatrix mox osculatur pedem Pontificis cum corona, & surgens reducit ad Diaconis ad suggestum: & cum cantatur deinde offertorium, revertatur ad Pontificem, & illi offerat aurum quantum placet. Deinde si vult communicare de Sacramento altaris (ut congruum est) procumbat supra faldisterium ad partem convenientem situm (ut superius diximus) & oret, quousque sit tempus, sine coronamen: & cum Pontifex in sede sua eminenti communicaverit, ducatur Imperatrix sine corona ad ejus pedes, & communicet, osculeturque manum Pontificis, & descendens ad altare purificet cum vino. Deinde assumpta corona reducit ad suum suggestum. Et nota quod Imperatrix deducetur semper eundo, & redeundo ab illis duobus Diaconis, sive paratis sive non paratis: & illam sociabunt sui Prælati, & proceres, atque matronæ & aliæ mulieres. Finita missa Imperatrix deducitur ad suum hospitium.

CAPUT VI.

De Coronatione Imperatoris absente Papa.

SI quando autem acciderit, quod propter absentiam summi Pontificis ab urbe Cæsar non posset ab ipso Pontifice coronari, consuevit Pontifex mittere ad Urbem aliquem Episcopum Cardinalem, qui simul cum legato Apostolico qui Urbi præest, Imperatorem electum coronet. Si autem legatus esset iste Episcopus Cardinalis, non esset necessarium mittere alium Episcopum, sed quemcumq; vellet alium Presbyterum Cardinalem. Et tunc procedetur hoc modo.

Electus Imperator ad Urbem veniens pro corona Imperiali, habebit obviam Barones, nobiles, officiales, civesque Urbis, & officiales curiæ Romanæ, & remanebit extra mœnia illa nocte, ut supra dictum est. Sequenti die intrabit per portam sub arce S. Angeli, quæ (ut diximus) non est Collina, cum suis Principibus ordine prædicto. Et in porta recipietur à vicario Pontificis, cum Prælati, & clero Urbis in modum supplicantium paratis. Et deducetur ut supra ad gradus Basilicæ S. Petri, ibique non super suggestum sed ante primas portas recipietur ad osculum tantum per Episcopum Cardinalem coronatorem, & legatum, qui ibi aderunt cum aliis Prælati curiæ parati cum pluvialibus & mitris. Aderunt etiam cum Cardinalibus officiales curiæ, Subdiaconi, Auditores, Acoluthi, & si qui sunt alii, & etiam Barones, aliq; nobiles Romanæ Ecclesiæ. Et electus statim post osculū offeret aurum duobus Cardinalibus, quod offerre debet Pontifici, & dicat hæc verba: *Si sanctissimus Pater Dominus noster N. Pontifex præsens hic esset, offerrem illi aurum istud præsens: sed per eius absentiam offero ipsum vobis Dominis Episcopo & Legato Cardinalibus, recipientibus illud vice & nomine dicti Domini nostri Papæ.*

Quo facto intrabunt porticum, & si tunc erit procedendum ad solemnitatem coronationis, quod commodè & decenter fieri potest, ibi supra altare S. Mariæ in Turribus præstabit juramentum fidelitatis in manibus Cardinalium. Et similiter si aliud